

Election. et Glossa ibid. verb. *De talibus*, et arg. c. *Nosti* 9. et cap. *Qualiter* 19. de *Election.* etc. *Inter corporalia* 2. de *Translation.* *Episc.* Barbos. de *Offic. et potest. Episc.* part. 1. tit. 5. cap. 4. num. 7. Fagnan. in cit. c. *Statuimus* n. 21. et alii communiter. (37. Episcopus electus, et confirmatus ante consecrationem potest concedere indulgentias. Sic communiter Doctores cum S. Thoma in 4. dist. 20. art. 3. quæst. 2. ad primum, et ibid. art. 4. quæst. 2. in corpore, ibi: « Potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem, et quia Diaconi, et alii non Sacerdotes possunt habere jurisdictionem, vel commissam, sicut Legali, vel ordinariam, sicut electi, ideo possunt indulgentias concedere, etiam non Sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro pœnitentia, quod est Ordinis, » quæ Divi Thomæ Doctrina communiter recipitur, teste Navarr. in tract. de *Indulgent.* in 31. notab. vers. *Possunt autem hi conferre etiam si non sint in Episcopos consecrati.* Fagn. l. 5. Decr. in c. *Accedentibus* 12. de *excessibus Prælator.* num. 10. et seq. Barbosa de *Offic. et potest. Episc.* part. 3. alleg. 88. n. 7. cum plurimis aliis ibi citatis. (38. Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium, et decorem Ordinis Episcopalis, c. *Transmissam* 15. de *election.* cum ibi notatis, et tradit Butrius in consil. 19. *Quia hic agitur*, cum aliis congestis a Felino in c. *Eam te* 7. de *Rescriptis* n. 1. col. 3. in princip. vers. *Et ideo dicit* Butrius, et Fagnan. in d. c. *Eam te* n. 38. (39. In concernentibus autem Jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel provisus per Papam, quia cum hæc competat etiam electo confirmato ex c. *Transmissam* 15. de *Election.* et Glossa ibidem verb. *De talibus*, et ex adductis supra num. 15. ideo dispositio loquens de Episcopo, verificatur etiam in electo confirmato, seu proviso, licet non consecrato, ut notant Glossa in Clement. 1. verb. *Episcopi*, et ibi Abbas num. 2. de *Foro competent.* Fagnan. loc. cit. num. 39. cum aliis ibi a se citatis. (40. Episcopi appellatione venit etiam nondum consecratus in materia proportionabili, tam confirmato, quam consecrato; Fagnan. lib. 5. *Decretal. c. Quod nonnullis* 25. de *Privil.* num. 23. et aliis ibi citatis. (41. Provisio, seu pronuntiatio Papæ in Consistorio habet vim electionis, et confirmationis; Innocent. in cap. *Cum olim in princip. de caus. posses. et proprietat.* Glossa in cap. 1. verb. *Provisionem, de Election.* in 6. ubi quod Papa providendo eligit, et confirmat; Abbas in cap. *Tua, de his, quæ fiunt a Prælat.* num. 2. et in c. *Cum in cunctis, de Elect.* num. 2. Fagnan. in c. *Eam te* 7. de *Rescript.* n. 15. (42. Provisi, seu pronuntiati a Papa in Consistorio appellantur promoti, etiamsi nondum fuerint consecrati; Extravagant. *Injunctæ* 1. de *Election. inter Communes*, ibi: « Qui apud dictam Sedem promoventur; » et Concil. Trident. sess. 7. c. 9. ibi: « Ad majores Ecclesias promoti, munus consecrationis infra tempus a Jure statutum suscipiant, » Fagnan. loc. cit. num. 24 et 27. (43.

Provisi quamvis consecrati accedentes ad Ecclesias ante levatas Bullas incidunt in pœnas de Extravagant. *Injunctæ* 1. de *Elect. inter commun.* Sic Doctores communiter. (44. Civitas interficiens suum Episcopum consecratum privatur Sede, et dignitate Episcopali, textu expresso in cap. *Ita nos* 24. caus. 25. quæst. 2. (45. Non privatur tamen tali Episcopali dignitate Civitas interficiens Episcopum solum electum, et nondum consecratum, Bald. in l. *Si nondum*: post. princip. C. de *Furt.* Felin. in d. cap. *Eam te* 7. de *Rescriptis* num. 1. vers. *Unde Baldus*, Fagnan. ibid. num. 17. Glossa in Clement. *Si quis suadente* 1. de *Pœnis*, vers. *Quamvis Pontificem*, dicens, quod in materia pœnali, uti est ista, appellatione Episcopi, vel Pontificis, non venit electus, et confirmatus, si nondum sit consecratus.

(46. Cum consecratur Episcopus, inungitur chrismate in capite, et manibus; quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum, textu expresso in c. *Cum venisset* 1. de *sacra Unctione*, ibi: « Cum venisset ad Apostolicam Sedem Bracarensis Episcopus, qui in consecratione sua sacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos (*Græcos*) non consueverunt Pontifices cum consecrantur, inungi; Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, faciente caput ejus, et manus per Albanens. Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem Ecclesiasticum) Sacro Chrisma deliniri. » (47. Ungitur autem Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput, et Principem Ecclesiæ suæ; c. *Cum venisset* 1. de *sacra Unctione*, Barb. de *Off. et potest. Episc.* par. 1. tit. 1. c. 5. n. 10. (48. Reges vero non in capite, sed in humero unguuntur, primo, ut proprius honor sit illius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terræ, et quem oleo lætitiæ excellentius, et augustius unxit præ consortibus suis. Deinde, ut ostendatur quod primo ante omnes Reges, et Principes persona capitis Pontificali officio repræsentetur. Ungitur tamen et Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur a repræsentatione ejusdem capitis; nam et hujus Principatus, ut dicitur *Isaiæ* 9, factus fuit super humerum ejus, et ut sciat se esse ministrum ad portandam Crucem Jesu Christi ad laudem honorum, vindictam autem majorum, *Apost. ad Roman.* 13. Sic ad litteram Barbosa loc. cit. num. 11. ex cap. *Cum venisset* 1. de *sacra Unctione* § 2. (49. Ungitur Episcopus in manibus, ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, et consecrandi; cap. *Cum venisset* 1. de *sacra Unctione*; Barbosa loc. cit. num. 12. (50. Annulus sacer novo Episcopo traditur ut Sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat; Barbosa loc. cit. num. 15. (51. Mitra deinde tamquam bicorni galea armatur novus Episcopus, ut intelligat, duo illius cornua, duo designare testamenta, anterius novum, posterius vetus, quæ duo Episcopus debet memoriter scire, et illis tamquam duplici cornu

Fidei inimicos ferire; Barbosa loc. cit. num. 18. Hieronymus Vielonius de *Episcopis Titularibus* part. 2. fol. 13. (52. Traditur in manibus novi Episcopi baculus, quo non utitur Summus Pontifex; cit. c. *Cum venisset* 1. de *sacra Unctione* in fine. Et quare hoc; Vide verb. *Baculus*. Alia de istis vide apud Barbosam de *Offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. cap. 5. et part. 2. allegat. 1. et Andream Du Saussay in sua *Panoplia Episcopali de Sacro Episcoporum ornatu* libros septem continente; in quorum primo agitur de Mitræ Episcopalis antiquitate, in secundo de virga Episcopali, vel Pastoralis baculo, in tertio de annulo Episcopali, in quinto de Chirothecis Episcoporum, in sexto de Dalmatica, in septimo de compagis, et sandaliis Pontificum.

ADDITIONES AUCTORIS.

(53. Episcopus electus et confirmatus consecrationem petere debet intra tres menses, sub pœna amittendi fructus, atque etiam Ecclesiam. Benedictus XIV. tom. 2. Constit. 36. incip. *Cum a Nobis*.

(54. Episcopus an unquam factus fuerit diaconus, non collato ipsi antea Sacerdotali Ordine, disputant Doctores, in contrarias opiniones abeuntes. At non constat, nec probatur perspicue fuisse unquam Diaconum in Episcopum, vel Pontificem maximum consecratum, quin Ordinem Presbyteratus antea susceperit. Benedict. XIV. tom. 4. Constit. 64. incip. *In postremo* § 10. et seq.

(55. Episcopus eligi nequit, qui antea saltem sex mensium spatio non fuerit in Sacro Ordine constitutus. Idem ibid. § 13. ex Concilio Trident. sess. 22 cap. 2 de *Reformat.* sic præcise statuente: « Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, vita, ac aliis quæ a Sacris Canonibus requiruntur, plane sit præditus, verum etiam in Sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus. »

(56. Episcopi consecratio ab unone, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quanquam sit quæstio inter Theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt Episcopi, ut ab uno tantum Episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere, hinc videtur probabilior sententia asserens unicum Episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere, ut Episcopo consecranti adjungantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate Ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis, Benedictus XIV. de *Synod. Diæces.* l. 13, cap. 13, § 5, nov. edit. ibi pariter decernitur, valere consecrationem Episcopi ab uno Antistite, uno tantum adjuncto presbytero, confectam, quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat; ibid. lib. 7, cap. 3, § 9.

(57. Pactiones inite a Capitulo electore, et juratæ ab Episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obsistere officialibus Capituli, si quid egerint, et decreverint: pactiones, inquam, illæ, si electionem præcedant, nullæ

omnino et irritæ declarantur ab Innocentio XII. Constit. incip. *Ecclesiæ Catholice*. Earum vero, quæ subsequuntur, executionem suspendit, donec Sedes Apostolica judicium de illis ferat, ibid. § 17. Hæc vero pactiones vetitæ, et irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ, ut ex DD. ibid. § 19. Insuper adsunt ea de re literæ Apostolicæ Benedicti XIII. in forma Brevis legendæ, ibid. § 23. (58. Alia de Episcopali Consecratione, vide verb. *Consecratio* a n. 1 ad 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Libet hic paucis a primordio Ecclesiæ historiam afferre electionis Episcoporum, quod attinet ad eligentes.

Ipse Christus misit duodecim Apostolos in universum mundum, sicut cum miserat Patres suos. (60. Apostoli vero primum omnium S. Matthiam ad vacantem Episcopatum ex suspendio Judæ proditoris elegere in prima Synodo Hierosolymitana. (61. In electione hac turbam hominum fere 120 adfuisse eruitur ex Sacro Textu.

(62. Profecti Apostoli in diversas Regiones consueverunt ad Episcopale ministerium attollere primos cujusque urbis viros amplexos fidem evangelicam. (63. Ab Apostolis vero creati, eorumque Successores Episcopi alios similiter constituerunt. (64. Principio Plebs vix præsentiam ac testimonium præstabat, at postmodum paulatim præsentiam ac testimonium extendere tentavit ad suffragium.

(65. Prima Synodus Nicæna Episcopis Provinciæ ad minus tribus in unum Congregatis jus tribuit eligendi vacantis in ipsa Provincia Ecclesiæ Episcopum, confirmatione Metropolitanis reservata, solumque testimonium, et consensus Populo reliquisse videtur.

(66. A sæculo IV ad sæculum nonum usque Synodus Provinciæ consuevit Episcopos ordinare, non nisi a Clero, et Populo, vel postulatos, vel electos unanimiter. (67. Quod si in duas, pluresve personas eligentium suffragia scinderentur, præferebat Metropolitanus digniorem, et ornatum majoribus suffragiis ac meritis.

(68. Frequentia electionum dissidia in causa fuere, ut Populi jura ad Principes tandem devolverentur. Hi vero IX sæculo ad XII sæculum usque adorti sunt vetustum electionibus assentiendi jus in novam vertere formam investiendi per anulum, et virgam, (69. seu instituendi Episcopos auctoritate sua absque ullo decreto, Judicioque Synodorum Provincialium, et sine Metropolitanarum confirmatione. (70. At eodemmet sæculo IX, octava Synodus œcumenica reprimere studuit recentem invasionem, sanxitque, ne qui Principum Laicorum et Potentium, se Episcoporum electioni ingereret. (71. Gliscentibus autem in dies in oriente laicalibus investituris Leo IX, Victor II, Stephanus X, Nicolaus II, Alexander II, B. Gregorius VII, alique Successores Ecclesiasticam in ea re libertatem tueri novis Conciliorum sanctionibus sategerunt, nullus ut auderet Clericorum, aut Monachorum

accipere de manu Laici investituram Ecclesiae vel Beneficii. (72. Saeculo demum XII, abolendis reapse Investituris consentire Principes orti sunt, pactis cum S. Sede contentis, quae dicimus Concordata.

(73. Tunc itaque omnino desierunt suffragia Laicorum, relictæque Clero fuere Canonicae electiones. (74. Cleri vero nomine venit Capitulum Ecclesiae Cathedralis.

Ineunte saeculo XIV, abrogatum est jus Capitulum Cathedralium Pontificiis collationibus et reservationibus, idque frequentissimis discordiis ad supremum Judicium Sedis Apostolicae deferri solitis, ac turbis Laicorum libertatem eligentium ut plurimum opprimentibus. In Germania vero Capitula retinuerunt jus eligendi Episcopos. Sunt et Reges, quibus jus nominandi Episcopos competit.

ARTICULUS III.

Episcopus quoad ea quae concernunt ejus residentiam, translationem, et renunciationem.

(1. Episcopi, etiamsi Cardinales, tenentur de Jure Divino residere in suis Episcopatibus. Colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 23, de Refor., c. 1, et tenent expresse Barbosa, de Offic. et potest. Episcop., part. 3, alleg. 53, num. 2, ubi plusquam triginta Auctores adducit, Pignatell., tom. 4, consult. 17, num. 2, ubi plusquam quadraginta Doctores pro hac sententia adducit, et ex Turriano refert Romae in quadam Congregatione habita omnes convenisse, residentiam esse de Jure Divino; Fagnan., lib. 1. Decretal., in c. Bonae memoriae 3, de Postulat. Praelat., n. 27, et lib. 3. Decretal., in c. Ex par. 3, de Clericis non residentibus, num. 28 et sequentibus, ubi solide, et late id probat. (2. Nec obstat, quod Papa super tali residentia aliquando dispenset, quod judicet residentiam personalem non esse de jure Divino, cum super ipso Ecclesia nequeat dispensare, ex cap. Sunt quidem 25, qu. 1, cap. Sicut, cum ibi notat, dist. 13. D. Thom., in 1, 2, qu. 97, art. 4, ad. 3. Non obstat, inquam, quia ex Richardo de Mediavilla, in 4, sentent. dist. 38, q. 9, art. 1, et Cardin., in cap. Cum ad Monasterium, § Abbas, num. 16, de Statu monachor., dispensatio potest capi dupliciter, primo modo pro Juris relaxatione, et secundo modo pro juris declaratione, et hoc secundo modo Papa dispensare potest super Jure Divino, videlicet illud declarando, et interpretando, ut factum fuisse constat ex cap. In omni 4, et cap. Licet 23, de Testibus et attestationibus, et notat Glossa unic. d. Sunt quidam, ubi expresse dicit, Papam dispensare in Evangelio interpretando ipsum. Papa igitur licet proprie et rigorose sumpta dispensatione pro Juris relaxatione non dispenset cum Episcopo super residentia, dispensat tamen dispensatione sumpta pro Juris declaratione, interpretando, et declarando Jus Divinum eo casu propter aliquam circumstantiam non obligare. Et sic respondet Covarr., Variar. resolut., lib. 3, c. 13.

num. 9, verb. Fateor enim, Sotus, de Justit. et jur., lib. 10, q. 3, art. 1. Vasquez, in opusc. mor. in tract., de Benefic., c. 4, § 2, dub. 1, num. 122, in fin. S. Thom., quodl. 6, art. 1. Fagnan., in cit. cap. Ex parte, n. 57, et sequent., et alii plures.

(3. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariae continuitatis residendi in Diocesi; et tales causae sunt Christiana Charitas, urgens necessitas, debita Obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas; Concil. Trident., sess. 23, de Reformat., cap. 1. (4. Christiana Charitas intelligitur, quando urget proximorum utilitas, ut si aliqua Ecclesia versetur in magno periculo haeresis, et Episcopi praedicatione posset succurri, vel ob pacem Magnatum componendam, dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra Ordinem Charitatis; Tolet., in Instruct. Sacerdot., lib. 5, c. 4, num. 3. Marc. Anton. Genuens., in Manual. Pastorum, c. 31, n. 3. Barbosa, loc. cit., n. 6, et alii passim. (5. Urgens necessitas intelligitur, quando Episcopus residendo grave malum vitae incurreret, vel propter morbum, curabilem tamen, et temporaneum, vel propter aeris intemperiem ad aliquod tempus, vel propter aliquam personalem persecutionem, vel ob inimicitias, aut ob Principis et populi furorē declinandum, dummodo tamen ex tali absentia Ecclesia sua nullum patiatur detrimentum spirituale, quia v. g. Tyrannus, vel Haereticus studet nocere ovibus in spiritualibus: tunc debet potius mori, quam deserere gregem, quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, Joan. 10. S. Thom., 2, 2, qu. 185, art. 5. Toletus, d. c. 4, n. 3, vers. 3. Genuens., d. c. 31, n. 3. Caran., tract., de Residentia Episcoporum, cap. 12, vers. 2. Barbosa, loc. cit., num. 7. Munus enim Episcopale adeo stricte obligat, ut minus aestimare debeat bonus Pastor detrimentum propriae vitae, quam detrimentum in spiritualibus suarum ovium, quarum curam suscipit, ut egerunt S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, et alii plures. (6. Debita Obedientia intelligitur, quando Papa propter aliquod negotium ad se vocat Episcopum. Sic Cardinales Romano Pontifici assistentes justam habent causam, ut absint ab Ecclesiis, quarum sunt Episcopi; Azorius, Institut. moral., part. 2, l. 7, c. 4, q. 4 et 7. Barbosa, loc. cit., num. 13, cum pluribus ibi citatis.

(7. Evidens Ecclesiae utilitas intelligitur, quando Episcopus abest ad defendenda jura suae Ecclesiae, vel vocatus accedit ad Concilium Generale, vel Provinciae, quamdiu scilicet durat Concilium; Communis (8. Evidens Reipublicae utilitas intelligitur, quando Episcopus abest pro utilitate suae Civitatis, aut totius Regni, ut cum mittitur Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei, aut pro Pace componenda, ubi non facile invenitur alius, quam Episcopus, ita dextere ea negotia tra-

ctaturus; Communis. (9. Episcopus, evidenti Reipublicae exigente utilitate, potest etiam esse Legatus, sive Orator Principis saecularis, ut habetur in cap. Cum parati, de Appellationibus, et tenet expresse Glossa, ib., verb. in Legatione, arg., cap. Si Episcopus 13, dist. 18, et cap. Salonitanae 24, dict. 63, et cum pluribus aliis Barbosa, loc. cit., num. 16. (10. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi a residentia sui Episcopatus, ut in Curia Regum fungatur munere et officio Regii Praesidis, Consilarii, Proregis, Confessarii, et hujusmodi, si ea sit hominum penuria, ut alii satis idonei minime reperiantur, qui talia officia praestare possint; Azorius, Institut. moral., part. 2, lib. 7, cap. 4, q. 6. Diana, part. 2, tract. 1, resolut. 5, in fine, et cum aliis Barbosa, loc. cit., num. 17. Unde ab Episcopis sunt attente consideranda verba undequaque Eminentissimi Cardinalis a Turrecremata in cap. Si vobis 23, qu. ultima, ibi: (11. «Turpe est, ut Episcopi se inferant ad servitia Imperatoris, vel alterius Principis saecularis, ut deferant causam subditorum, et officia devotionis. Hoc non facerent, si mortem spirituales timerent, et intelligerent se reddituros rationem de ovibus suis Deo summo Judici. Utinam etiam de Curia Romana hoc in parte observaretur, in quo plures Episcopi conveniunt, non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut altiora quaerant, aut beneficia addant beneficiis, aut honores honoribus, utque officia, et Legationes quaerant, quae Curae animarum sibi commissarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam Summi Pontifices considerarent quanta negligentia circa animas committitur ex absentia Praelatorum ab Ecclesiis suis!»

(12. Decretum factum pro Parochorum residentia quod teneant ministrare, etiam tempore pestis et cum periculo vitae, Sacramenta Baptismi et Poenitentiae, et editum a Sacra Congregatione Concilii, 23 Septembris 1576, multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. Sic declaravit Greg. XIII, die 18 ejusdem anni 1576, teste Fagnano, lib. 3, decret. in cap. Clericos 17, de Clericis non residentibus, num. 46 et 47. (13. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, Sacra Congregat. Episcoporum, in Neapolitana, 24 Martii 1597, et in Nicoteren., 7 Septemb. 1619, etiam tempore Contagii; ead. Sac. Congreg., in Murana, 23 Julii 1602. (14. Potest Episcopus residere in qualibet parte Diocesis, modo vadat ad Cathedralē temporibus praescriptis a Sacro Conc. Trid., sess. 23, cap. 1. Sac. Congreg. Episcoporum 17 Decemb. 1649. Episcopus propter aeris intemperiem residens in aliqua parte suae Diocesis, non tamen removere debet Vicarium, et Tribunal a Civitate, ut declaravit Sac. Congr. Episcoporum, 28 Januarii 1603, die 3 Octobris 1611, die 22 Februarii 1647, et die 17 Decembris 1649. Pignatell., consult. 64, tom. 7. (15. Episcopus ex causa

mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra Diocesim ultra trimestre, maxime cum intra fines Diocesis adsunt loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo. Nec ei suffragatur praetensa consuetudo degendi extra residentiam; unde a Metropolitanano cogi potest ad residentiam, juxta dispositionem Sacri Concil. Trident., ut declaravit Sac. Congregat. Concil., sub die 18 Sept. 1683, in qua propositis dubiis:

« I. An Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, possit in aliqua anni parte degere extra Diocesim ultra trimestre, licet intra fines Diocesis adsint loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo? Et quatenus negative?

« II. An Episcopo suffragetur praetensa consuetudo, ut supra, degendi extra residentiam? Et quatenus negative?

« III. An, et quibus mediis possit a Metropolitanano cogi ad residendum?

« Sacra Congregatio respondit: Ad primum, et secundum negative. Ad tertium servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini.»

(16. Super residentia Episcoporum edita est die 12 Decemb. 1634, ab Urbano VIII. Constitutio incipiens: Sancta Synodus, in qua multa scitu digna statuuntur, et hic, prout sunt a Fagnano in cap. Qualiter 9, de Clericis non residentibus a num. 11 ad 27, summarie transcripta, traduntur. (17. Primo igitur Sanctitas sua innovat decreta Conc. Trident., Constitutiones Apostolicas, et decreta Consistorialia super residentia Episcoporum. Multae enim Constitut. super hoc ante prodierunt, ut Pii IV, et Pii V. Item multa decreta Consistorialia, et in specie Gregorius XIII declaravit decreta Concilii, et poenas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. Cardinalibus; et Clemens VIII. suo decreto Consistoriali addidit poenam inhabilitatis Episcoporum non residentium ad majores Dignitates, et ecclesias obtinendas. (18. Secundo jubet jam Praefectos Cathedralium, et majoribus Ecclesiis etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos, si extra Urbem in Italia, si extra Italiam, infra quatuor computandos a die publicationis Bullae. Nondum autem Praefectos, infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve, vel literas missivas sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, amissionis fructuum, et facultatum testandi ipso jure incurrenda, necnon privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum, aliisque poenis arbitrio Sanctitatis suae infligendis. (19. Quoad poenas, Pius IV, in Constitutione quae incipit, In suprema, edita post Concilii publicationem, similiter praecipit Episcopis, ut in suis Ecclesiis personaliter residentem sub poena privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis suo arbitrio imponendis poenis, et bona decedentium extra residentiam decernit tam-